

Dissertatio  
inauguralis medica  
de  
Cortice Peruviano.

---


Quam annuentibus  
Illustrissimo ac Magnifico Domino Praefide et  
Directore, ac Clarissimis D. D. Professoribus  
pro Doctoris medici laurea rite obtinenda  
in Antiquissima ac Celeberrima Universitate  
Vindobonensi  
publicæ disquisitioni submittit  
Carolus Brataffeviz,  
Austriacus Viennensis.

---

In theses adnexas disputabitur in Universitatis  
aedibus die      mensis Maji anno 1815.

Viennae, 1815.

*W. H. Schumann.*



DV  
688



Dv 688

Cum  
mihi  
mecum  
nullus  
esse,  
ingen  
luto f  
vestig  
bus n  
ne po  
ductio  
fam e  
prae  
non p

---

## Praefatio.

---

Cum ad effatum legum academicarum et mihi concinnanda esset Dissertatio, reputans mecum rerum medicarum hodierna adjuncta; nullus dubitavi modestiae absque affectatione esse, materiam amplecti, cujus dignitas non ingenii acumini, quo pollent, quibus meliori luto finxit praecordia Titan, sed historicae investigationi et experientiae, quas in Annalibus medicorum invenire licet, nititur, lectione potius, quam severis reflexionibus, et inductione philosophica eruenda. Hanc ob causam ex materia medica Corticem Peruvianum prae caeteris pro objecto hujus scopi elegi, non propterea, ut attentione practicum longe

experientissimorum historiam, fata, et usum  
hujus medicaminis magnae dignitatis succin-  
cte propositurus digna panderem, sed potius  
ut in eo essem, quod cognitiones meae, quae  
nunc primum more fruticeti verni primas ca-  
piunt radices, auferentur.

*Hist*

Cor  
Chin  
nalis  
offici  
chon  
fortit  
tium  
ne L  
Bay  
2 X 5  
S  
(Flor  
specie  
expre  
*nitida*  
cies C  
buntu  
accoli

3

*Sectio prima.*

*Historia et fata corticis Peruviani.*

**C**ortex peruvianus (cortex Chinae, Chinae, cortex quinquinae, Cinchona officinalis) constituit corticem arboris Cinchonae officinalis Bot. quae nomen a Comitissa Cinchon proregis quondam peruviani conjugis sortita est. Integrae autem sylvae juga montium oblidentes specierum Cinchonae in regione Loxae, et Zamorae, inprimis autem ad Bay Guayaquil in Audiencia Quito sub gradu  $2^{\circ} 5'$  latitudinis meridionalis reperiuntur.

Secundum investigationes a Ruiz et Pavon (Flora peruv. et chin. Vol. II.) tres ejus ibi species in usu sunt figuris aeneis ab iisdem expressae, Cinchona nimirum *magnifolia*, *nitida*, et *hirsuta*. Secus quindecim jam species Cinchonae, et plures a Botanicis describuntur. Omnes specierum harum cortices ab accolis *Cascarillo* vocari, pariter ab his acce-

pimus; quinquina enim secundum inquisitionem Hawkinii, arboris Myroxilon cortex esse debet; Jacquin autem senior (Stirp. amer. hist. pag. 57.) perhibet corticem arboris *Achras Sapota* in locum corticis Quinquinae genuinae per omnem Americam meridionalem venditum iri, ut igitur vel et ex his appareat, observationes circa corticis vires institutas diversi successus esse debuisse.

Constat autem, cortices omnium specierum Cinchonae pigmentum sub origine artium apud Peruvianos constituisse eximium, longeque postea cessisse in usum medicum. Inventionum qualiumcunque informatio traditionibus nititur, quarum et de Cortice duae leguntur, altera fert: efficaciam illius in morbis ab animalibus, in specie a leonibus innotuisse, qui si febre correpti fuerint, ut sanarentur, corticem arboris Cinchonae masticare soliti sint; altera narrat: terrae motum regionem circa Loxam quondam concussisse adeo vehementer, ut arbores ripam lacus non longe ab urbe Loxa distantis obsidentes in aquam ejus praecipites ferrentur, fortuito rusticos febrili affectione laborantes ex aqua hac cum virtute Corticis impraegnata ad sitim fallendam hausisse, atque inde postmodum convaluisse. Quidquid sit, certum est, per longum temporis intervallum vires illius medicatas Peruvia-

nos  
Ant  
teffe  
tech  
usur

tici  
Cinc  
Corti

sus i  
ann  
igna  
latio  
rere

pulv  
talis

speci  
signi

in H  
taten

et lib  
hispa

volan  
cissitu

in H  
dicos

Corti  
illa i

nos coram Tyrannis europaeis oculuisse, licet Antonius Bolli mercator quidam ex Geneva testetur, Corticem Peruvianos non solum qua technologicum, sed qua medicamen etiam in usum convertisse.

Casus, quo efficientia corticis hujus exotici et in Europam pervenit, Comitissae de Cinchon febris pertinax tertiana fuit utpote *Corregidor* administrator urbis Loxae officiosus ipse curam instituens cum febrem dictam anno 1638 in fugam ageret, Comitissa non ignara mali Corticis divulgatione, et dispensatione miseris incolarum urbis Lima succurrere didicit; unde pulveris Corticis nomen *pulvis Comitissae* audit. Linè et ipse immortalis nomen Comitissae immortale reddidit, species hujus arboris nomine *Cinchonae* insigniendo. Reduce abhinc Prorege anno 1640 in Hispaniam magnam hujus corticis quantitatem medicus illius aulicus *del Vego* attulit, et libram vendidit pro 100 Real ad computum hispanicum. Ex Sevilla mundi bonum fama volante divulgatum plurimas expertum est vicissitudines.

*Galeni* tunc schola tribunalis inquisitionis in Hispania praedecessor vix non adegit medicos opinionibus suis occoatos ut usum Corticis in aeternum vetarent; praecepit enim illa imperiose, febres ex praedominio mate-

rierum quarundam melancholicarum oriri, quae per solventia evacuentia egeri prius deberent, tuncque ad curam absolvendam stomachica, visceralia, absinthium, chamomillam Angelicam, Valerianam etc. sufficere. Hujus igitur scholae Antifistibus sapor stipticus et extractivarum partium magna quantitas, seu quod obstiparet potius, seu quod elementares partes hypotheticas non contineret, displicuit. Et actum fuisset de Cortice, nisi simul Empirici ad lucrum se tenentes illum tanquam divinum remedium in plebe ad coelum usque extulissent laudibus. *Hernandez* in opusculo (Defensa de la china contra Colmenero) excellens praebet exemplum, cui demonstrat, quod China simul et solvente virtute praedita sit, siquidem experientia palmam praehypothesei praeripere possit.

Memoratu vero dignum est, caro pretio patres de societate Jesu hoc remedium tunc temporis collegisse, et inter fratres, ac pauperos gratis distribuisse. Cardinalis *de Lugo* maximum hoc respectu meritum habet, cui, cum per Provincialem ex America magna Corticis quantitas adlata fuisset, Galliam anno 1649 petiit, ubi tunc Ludovicus Decimus quartus febris laborabat intermittente, auctoritatem Corticis vindicturus. Iter et prosperum fuit, rege enim sanato in catholicis regionibus

tanqu  
pulve  
tunc  
mos  
tione  
rati  
hypo  
rios.  
circa  
dosis  
ante  
imme  
maju  
in H  
filium  
recidi  
ejus  
sculo  
ejus  
valde  
hinc  
quod  
tat et  
crevit  
in pe  
conf  
estife  
debil  
plo sp



tanquam specificum contra febres sub nomine *pulveris Cardinalis* exclamatus fuit. Cortex tunc licet magna auctoritate comitatus, summos tamen in protestantibus, qui ad exstirpationem omnis gentis venenum a Jesuitis vendicati sunt, et in orthotoxis medicis, quorum hypothesei contrarius fuit, nactus est adversarios. *Morton* vidit et instructionem Jesuitarum circa usum corticis chinae brevem, in qua dosis ad dr. ii restringitur quae sumi debebant ante usum evacuantium, et accessum febris immediate; unde aliud Corticis discrimen, eo majus, quod Princeps Leopoldus austriacus in Hollandia iteratis vicibus ex febre ad consilium hujus instructionis sanatus, illi denuo recidivus occubuerit anno 1652. *Chifflet*, qui ejus morbi historiam descripsit, asserit in opusculo (pulvis orbis americani) quod recidivae ejus usum sequantur, quod hoc remedium valde siccum, et simul calidum sit, intestina hinc quasi urat, consumendo fluidum vitale, quod intermittentem typum in continuum vertat etc. *Chiffletianorum* numerus in dies accrevit, adeo, ut *Mortono* teste pharmacopoei in perniciem corticis peierarint, et solemnem conspirationem iniverint, quo ocyus hic pestifer exterminur, quippe qui lucro ex curat debilitante illis ubertim affluente illos extemplo spoliare videbatur. Non defuerunt idcirco

et hac aetate viri utilitatis minus studiosi, qui Apologias Corticis scripserunt, in quibus demonstrare satagunt, Corticem volatili- aethereo- oleosis partibus imbutum humores non quod inspisset, quam quod tenaces; et viscidos solvat, damnumque, quod ex ejus usu in febricitantes redundavit, magis fraudi, et mangonisationi, quam ipsi adscribendum esse.

Pervenit tandem Cortex peruvianus in Angliam anno 1654, ut quasi refugium sub Aegide magni Sydenhami quaereret, cujus cum vires illius verae medicatrices severum sustinuisent examen, pariter, ac ille Vir in arte summus celebrabatur. Inventus est enim medicis illius aevi Sydenhamus, quod illi corticem nec justo tempore, nec dosi justa propinare sciverint, nempe quod aut imediate ante Paroxysmum ingesserint, quo necessario molimina naturae turbarentur, aut quod, quamdiu usus continuari deberet, ignorarint; ipse hinc exantlato paroxysmo statim in usum vocandum esse demonstravit, et quod dosis eadem etiam sub apyrexiae tempore, ut et abacta febre per aliquot dies porrigi possit ad recidivam praecavendam, docuit. Auctoritas tanti viri in causa fuit, ut Cortex plures die in diem aestimatores in Anglia invenerit.

Illam fere aetate Apologus alter *Badus* Cardinali de Lugo coaevus fuit, qui respuendo

hypoc  
Cort  
atque  
1663.  
mitte  
matic  
tisse,  
sunt,  
china  
antec  
mum  
Phthi  
Robe  
moda  
vit,  
pharr  
aurat  
um in  
Corti  
in lab  
tora  
pidem  
te, et  
nes c  
Londi  
rum c  
tologi  
tentiu

hypotheses unice ad experientiam confugiens Cortici peruviano eximios attribuit effectus, atque in opere (Anastasis de Cort. per. Genuae 1663) defendit, non solum in febribus intermittentibus, sed etiam in catarrhosis, rheumaticis, et Hypochondriasi utilem se praestitisse, in specie dicens: „Ubi vires dejectae sunt, qualiscunque sit febrium typus, usus chinae valet, neque necesse est ut corpus in antecessum purgetur, evacuatio unica ad summum sufficit.“ Hic idem asserit, Corticem in Phthisi, et lue fructu carere.

Memoratu maxime digna est incidentia *Roberti Tabor*, qui genio hominum se accommodans sub titulo arcani febres Cortice fugavit, tam diviti fructu, ut ipse antea nonnisi pharmacopaei adjunctus in Epitaphio *Eques auratus*, medicus singularis, unicuique febrium imalleus salutaretur. Postquam enim hic Corticis varias praeparationes ut adjunctus in laboratorio condidisset, *Essexium* ad litora maris habitatum concessit; febres hic epidemice saevientes maximam hostem in Equite, et Cortice expertae sunt, fugavit enim omnes cum victoria insigni; Cujus cum fama Londinum perveniret, ad mandata superiorum ovans illic reversus est; hic edidit *Pyretologiam*, in qua pro causa febrium intermittentium tenacitatem, et visciditatem mucii as-

signat, quam se dissipare scire arcano ex duobus exoticis, et duobus vernaculis remedijs composito contendit, sedulo monens medicos ut in Cortice suspecto exhibendo summe sint cauti, praecipue in illo qui pulvis Cardinalis dicitur. Hoc praesito Parisios profectus est, ubi post successus frequentes Ludovicus decimus quartus, qui noluit summi medicamenti notitiam diutius latere, illud a Tabor 2000 nummis aureis (Louisd'or) emit, et post factum equitis Tabor publici juris fieri iussit. Persona arcani hoc ablata Cortex in conspectum prodiit additamentis variis, et ipse diversis praeparationibus antea occultus. Secundum medicos gallos recepit autem Tabor: Folior. ros. dr. VI, succ. citri unc. II, quae aqua fervida infudit per horas VI, dein addit pulv. cort. peruv. unc. VIII, aquae foenic. unc. IV per XII horas maceranda, admiscuit etiam succum petroselini, vinum rhenanum etc. Secundum relationem Jones vinum quoque medicatum ex Cortice ad unc. V + VI sub Apyrexia ordinavit, donec febris emanferit. Primus idcirco ille fuit, qui praeparationem tincturae et Extracti invenit, Extractum non nisi gravidis, et delicatulis exhibendo. Constat praeterea, et Tincturam opii mixturae supradictae illum quandoque addidisse.

Annis labentibus Joan. Adrian. Helvetius

Director Nosocomiorum in Flandria, qui et  
usum Ipecacuanhae primus introduxerat, Cor-  
ticem quoque ad praecavenda symptomata  
abdominalia in clysmatibus cum opio, ne is  
eliminetur, applicandum esse affirmavit, re-  
jecto profus usu illius interno; qui de hac  
methodo plura scire cupit, adeat ejus opus:  
Methode pour guerir toutes sortes de fie-  
vres, sans rien prendre par la bouche

Non mittendus in his historicis fragmen-  
tis Professor modenensis Celeberr. *Torti*, qui  
naturam februm larvatarum, quae omnibus  
medicis tunc temporis habebantur lethales,  
introspectit, et illas non satis laudanda auda-  
cia atque successu felici Cortice aggressus est.  
Vir hic et tempus, et modum, et formam, et  
contraindicaciones in opere eximio (*Therap.*  
*spec. ad febr. quasd. pern. anno 1712*) deter-  
minare tendit, praecipiens, in febre inter-  
mittente benigna unciam unam sufficere, ad  
recidivam praecavendam dr. senis quovis  
mane per octo dies sumendam esse, in mali-  
gnis illico unc.  $\beta$  ingerendam et dein sub in-  
tervallis drachmatim ad unc. integram ascen-  
dendum, in remittentibus dosim eo minorem  
esse debere, quo major nisus in remissionem.

Molimina haec in praxis medicae emolu-  
mentum accidisse plurima experimenta a me-  
dicis coactaneis felici instituta successu con-

firmarunt, et cum magnus Werlhofius auctoritate cognitionum, et perspicacitatis morbos posthumos febris intermittens, non ex usu, quam potius ex parsimonia exstitisse, conquestus esset, perspecta Corticis utilitate medici illum in aliis etiam morborum formis in usum vocare non dubitaverunt, quae Data paucis adducenda esse non inutile fore duxi.

In *Podagra* primus *Sydenham* utiles ejus effectus agnovit, eo, quod tum roboraret, tum insultus arceret. *Held* in eadem passionis forma divinam illi efficaciam attribuit. *Ramazzini* in *Typho* vermibus incedente illum adhibuit, et credit se vires ejus anthelminticas eo primum detexisse. *Morton* in *Dysenteria*, quae virium eam alienationem, quam *Typhus*, agnoscit, opii connubio excellens remedium mundo medicorum comendavit — in *Haemoptisi* pariter celebre, quae a debilitate processerit. In *Variolis malignis* virtus ejus antiseptica multum utilis ab *Huxhamo*, et *Monroo* primum publicata. *Joann. Rushworth* ex hac causa in *gangraena*, quae febris intermittens successione constituit, non sine fructu propinavit, quam efficaciam summam *Heister*, et alii in aliis etiam *gangraenae* speciebus observarunt. In omnibus morbis putridis *Bisset* et *Herwig* mira virtute pollere Corticem perhibent.

ext  
pri  
fon  
ne  
Au  
opt  
fal  
in  
late  
Cor  
spaj  
riod  
am  
fitu  
priu  
gill.  
Chir  
Pht  
tuffi  
relat  
lem  
Phle  
Hall  
Dar  
drop  
nestic  
nere.  
omit

Nec defuerunt viri optimi, qui et usus extetni utilitatem perspexerint. *Rije* horum primus medicus anglus in specie balnei, et fomenti infantibus eodem fructu, ac si interne sumssissent, applicuit. *Hemmann* (med. chyr. Aufsätze 1. Theil pag. 214.) gloriatur se cum optato eventu ad febres putridas sanandas sal essentielle Corticis venis injecisse. *Löseke* in Materia medica tribus abhinc lustris longelateque praescribente jam connotavit, vim Corticis roborantem dispositionem quoque ad *spasmos* tollere posse. *Störk* in *Amaurosi periodica* tentatum Corticem visum ad plenariam usque vis vitae extinctionem benigne restituisse, testatur. In morbo *scrophuloso* dedit prius *Clephane*, tandem ejus exemplo *Fothergill*. *Abilgaardium* cum cremore tartari, et China *Rachitidem* sanavisse legimus, cui jam Phthisis successerat. In ulceribus malignis, ventusis, phagedaenicis, gangraenescentibus ad relationem Bromfieldii plures medici perutilem Corticem esse invenerunt. In Phthisi, quae Phlogosis nulla symptomata prodit, *Haen*, *Haller*, *Quarin* laudant Corticem. *Erasm. Darwin* curato per Digitalem purpuream hydrope ad recidivam avertendam Corticem benefica dedit manu. A *Swediaurio* in lue venerea ad sialorrhoeam praecavendam bono omine propinandum didicimus. In *spasnis*, et

*convulsionibus* carumque speciebus, uti sunt *Hysteriæ, Epilepsia, Tetanus, Astma*, et aliae, praeclarum invenerunt Corticem *Macbride; Murray, Lorry*.

Vix praeteritis demum tribus lustris effervescentiam vehementissimam rei medicae involventibus primum medici, qui sub Aegide Brunonis unicum per univcrsum Organismum, eamque indivisibilem Energiam defendebant, in omnibus morbis asthenicis, seu sint inflammationibus, seu sordibus gastricis stipati, dummodo organa digestionis Corticem subigere valeant, viribus ejus stimulantibus fixis pari jure utilem esse affirmarunt; dein Naturae Philosophi, qui triplicem Dimensionem in corpore organico statuunt animantem, magneticae, quae vegetationi praesidet, illum respondere contendebant, ut adeo illam prostratam Cortice potentiatum iri ad oculos demonstrarint. Fatis Corticis succincte enarratis ejus species nostro usui valentes, carum attributa sensibilia, et chemica, tum virtutem, et efficientiam, agendi rationem, indicationes. et speciales morborum formas, in quibus illae conveniant, his paucis subjungere pergo.

---

Histe

Corte  
annis  
chonau  
temper  
solaren  
dein er  
tenden  
unt inc  
ribus l  
fectae  
excelsa  
pollicu  
quae C  
ehnicis



*Sectio altera.*

*Caput primum.*

*Historia naturalis, Characteres, et partes  
chemicae Cort.*

Cortex peruvianus, ut superius attigi, ab  
annis 172 in Europa celebris specierum Cin-  
chonae indumentum sistit, quod aestate sub  
temperie aeris sicca colligitur, et ad lucem  
solarem arefit; arbor ipsa cortice denudata  
dein emoritur, labem et ad fruticeta sua ex-  
tendens, quae exile per omnem vitam capi-  
unt incrementum, adeo, ut, si fides scripto-  
ribus habenda sit; tabe quasi contagiosa ad-  
fectae Cinchonae ante denudationem corticis  
excelsae et amplae vix hac aetate ad trium  
pollicum crassitiem accrescant. Species autem,  
quae Corticem medicatum, aut rationibus te-  
chnicis respondentem largiuntur, sunt pluri-

B

mae, quarum passim jam memini, passim botanicae curiositati satisfaciunt. Quas vero hic in specie ut usitatissimas describere oportet, sunt sequentes:

A. *Cortex officinalis* (Cascarilla fina) seu *Cortex peruv. juseus* constat, si genuinus est, ex plus minus convolutis, duris, et siccis fructis, non facile frangendis, externe asper, et rugosus, intus laete rubens, cinamomum rubedine superans, compactus, folis radiis expositus, puncta, et granula ostendens resinosa, saporis grate amari, ad stringentis, odoris aromatici; mucidus enim odor non est proprius, quia illum ex humiditate, et lichenibus superficiem obsidentibus contrahit.

B. *China delicata*, vel *tenuis*, occurrit hujus cortex cum aliis speciebus mixtim, extus fissuris scaber, epidermide nigrescente, hincinde cinerea, aut punctis albicantibus variegata, intus ex pallido ruber, fractura aequalis, substantia multum resinosa.

C. *Cortex chinae luteus* (China flava, China pallescens, Cortex regius) viribus nondum satis nota; cuticula, qua tamen multa frustra carent, ex flavo cinerea, interne coloris aurantii saturati, seu ferrugini, superficie interna glabra, luci obversa splendente, gravitas specifica, ac reliquarum minor, odor

debil  
offici

nond

ex pi

ra, c

punc

conv

liquo

lem g

exper

I

Botan

cory

va, s

satis

ipsae

S

const

pauci

56) p

oleum

hendu

cacill

rime

connu

resinc

roma

octio

debilior, sapor amarior, modice adstringens; officinalis vim superare non videtur.

D. *China rubra*, (Cort. peruv. ruber.) ex nondum determinata specie, adfertur autem ex provincia Santa Fè, frusta exhibet majora, crassiora, extus aspera, sulcata, cinerea, punctis albis, et flavis notata, frusta minora convoluta, interne profunde rubra, fracta aliquomodo fibrosa, multum resinosa, officinalem gravitate specifica superat, an viribus? experientia ulterior confirmabit.

Exstant praeter has species et aliae a Botanicis descriptae uti sunt: *China pubescens*, *corymbosa*, *bogerenensis*, *sumatrensis*, seu *nova*, *spinosa* etc. quarum tamen vires nondum satis exploratae sunt, neque in officinis nostris ipsae reperiuntur.

Sequitur autem ut partes Cort. peruv. constitutivae, quae chemica innotuere Analyfi, paucis exponantur. *Lee* (phil. Transact. volum 56) primus demonstravit, quod *China* oleum aethereum contineat, infusione extrahendum. *Percivall* infusum aquosum pro efficacissimo habuit, quia Vitriolum ferri nigrime praecipitat, asseruitque, omnem vim ex connubio intimo partium gummosarum, et resinosa dependere, utileque esse, alia aromatica illi adjungere; quoniam autem decoctione oleum aethereum dissipatur, decoctum

ejus minimae efficaciae esse affirmavit. Notavit demum hic perspicax Chemicus, principio adstringente minori quantitate imbutum esse Cort. peruv. quam alios cortices. *Plenk*, quoniam pulvis ejus Magnete attrahitur, ferrum quoque in illo residere arbitrabatur. *Fourcroy*, *Vauquelin*, *Schreder*, *Bucholz* et alii in chemico Cort. peruv. examine principium sui generis, cinchonaceum dictum (*Chinastoff*.) detexere, praeterea acidum peculiare, principium tanninum et mucilaginem.

Secundum experimenta recentiorum Chemicorum continet Cort. peruv. principium tanninum, acidum gallaceum principium extractivum, refinam, gummi, seu potius gelatinam, et secundum *clariss. Hemmann*, et *Grindl* acidum quoddam sui generis, et partes quasdam volatiles. *Analyses* autem chemicae a *Celeberr. Berthollet* institutae nos edocuerunt, unciam unam Corticis Peruv. Mucilaginis et salis essentialis chinae gr. 60, pulveris cujusdam rubri, id est principii cinchonacei pro parte oxydati gr. 40, nitri gr. 20, calcis muriaticae gr. 6, Magnesiae muriaticae gr. 4, et aluminae muriaticae gr.  $1\frac{1}{2}$  continere. Corticis his dotibus imbuti decoctum turbidum est, agitatum multum spumescit, dum calet. colorem rubicundo fuscum ostendit, frige factum vero ex flavo pallidum, fe-

dir  
ria  
noi  
eju  
ria  
tio  
cun  
col  
cun  
seu  
ex r  
plus  
tion  
ex r  
  
rum  
liniu  
faga  
uber  
eis,  
cupio  
deco  
iv +

dimentum deponens, maxima ex parte materia resinosa constitutum. Secundum Consbruck nota characteristica certissima sequens est, si ejus decoctum aqua large dilutum cum Muriate ferri sedimentum sinit viride, et si solutionem collae animalis non praecipitat. Secundum Gren autem (Handbuch der Pharmacologie. Erst. Band) genuini Corticis decoctum cum decocto gallarum copiosum ex rubro griseum, cum solutione collae animalis pallidum ex rubro flavum, cum solutione sulfatis ferri plus minus viride, cum tartari emetici solutione ex flavo albicans, et cum sulfate cupri ex rubro flavum constituit sedimentum.

Defraudari potest cortex primo cum aliarum arborum corticibus, qui succo alöes illiniuntur; haec fraus detegitur inquisitione sagaci atque per defectum characterum prius uberius descriptorum; dein, decoctione corticis, et iterata ejus exsiccatione; talem lucri cupidinem decoctum ob oculos ponit, quia decoctum ex unc. iv. paratum inspissatione iv + vi drachmas extracti largitur.

*Caput secundum.*

*De virtute Cort. peruv. ejusque modo agendi.*

Virtus Cort. peruv. ex experientiae, et Theoriae verae respondenti principio excitans roboans, productionem, id est materiae organicae evolutionem attollens, ejus coagulationem promovens, stimulans, proinde processum vitalem tam quoad incitationem, quam quoad vegetationem exaltans, hinc vitae omnem Energiam certissime suffulciens, et demum specificè antifebrilis. Vires, quas alii ut adstringentes, antispasmodicas, resolventes, anthelminticas et antisepticas illi adscriperunt, huc revocari poterunt. Nunc de modo ejus agendi paucis disserendum; hanc circa vero materiem et vel perspicacissimi coecutiunt, quod rixae et altercationes saepe motae testantur adeo, ut major medicorum pars Hypothesium pertesa specificas illi vires ultra adscriberet. Ne autem his barbaro modo occultas rerum qualitates assumendo rem verbo, quod nihil significat, exprimere videar, diligentius hoc respectu inquirendum esse censeo. Duplex vero est morborum genus, in quibus

Co  
ne  
ch  
ter  
jul  
bu  
ex  
no  
qu  
int  
qu  
fer  
au  
feu  
fec  
ali  
tici  
qu  
in  
for  
am  
get  
org  
gul  
fed  
tio  
stri  
sua  
Fel

Cortex adhiberi potest, alterum febres in genere constituunt, alterum debilitates sic dictae chronicae exhibent, et dein febres intermittentes speciatim. In his omnibus iusto tempore, iusta forma, qualitate, et dosi atque absentibus contraindicationibus propinatus, quod eximios edat effectus, experientia longa annorum confirmat. Jam siue asserant medici, quod in his casibus roboret, adstringat, siue intuitu humorum, quod illos solvat tenaces, quod illis se assimilando stimulum eorum, quo feriant partes solidas, et calorem naturalem augeat, siue principium aliquod elementare seu oxygenium, seu azotum extricet, aut secum ferat, his, inquam quoniam eadem et aliis medicaminibus seu vernaculis, seu exoticis impetrari possunt, virtus Corticis nequam explicatur. Verum quidem est, illum in morbis a vera debilitate oriundis azoti sub forma solida evolutionem pariter, ac reliqua amaro-tannino-resinosa, augere, sicque vegetationem ad altiorem gradum evehere, et organisationem ita mutare, ut in fluidis coagulatio in solidis autem contractio praevaleat, sed in morbis qui dynamics sequuntur rationes, et qui ex inaequali potius virium distributione, aut ex ignotis aeris qualitatibus suam promunt originem, quorum exemplum Febres intermittentes sistunt benignae, aut

malignae, absolum esset, praeclaram ejus actionem ex ejus dotibus sensibilibus, aut chemica Analyfi obtentis eruere velle, quia, si illorum morborum origo acumini mentis humanae occulta est, certè pro his saltem momentis et Cortex occulto modo operari videtur.

Specifica ergo ratione hoc saltem respectu agere Corticem, qualicumque demum animo medici ferant, arbitror, ita quidem, ut, quoniam quodlibet systema in corpore vivo ex propria ejus organisatione propria instructum sit vita, etiam cum rebus externis propriam relationem sustinere debeat, et quidem cum cortice talem; ut systema, quod peculiariter febrilem affectionem suscepit, peculiarem quoque, et specificam cum illo habeat principii oppositionem.

His visis nunc ad indicationem generalem, dein ad specialem transeo.

---

relat  
grot  
debil  
ctior  
medi  
indic  
boru  
rent;  
jecta  
osten  
Corti  
subig  
Orga  
et m  
inter  
a  
tum  
tum  
et ali  
confi



*Caput tertium.*

*De usu Corticis peruviani.*

*A. Indicatio generalis.*

Facile efficitur ex nunc statim exposita relatione Cort. peruv. ad corpus hominis aegrotum, illum in omnibus virium morbis a debilitate vera oriundis et in illis a reproductionis languore cum resolutionis excessu remedium esse longe supremum; hinc si omnes indicationes adducere vellem, numero morborum illae ad ingentem catervam excrescerent; cum magna eorum pars seu virium dejectarum seu vegetationis languentis statum ostendit: In his igitur omnibus convenit usus Corticis peruviani, dummodo vires digestrices subigere illum atque partes illius elementares Organismo homogeneas reddere queant. His et momenta sese offerunt, quibus usus illius interdicitur, quorum primum est:

a. *Status inflammatorius* tum universalis, tum partialis, et virium morbosum augmentum (*Hypersthenia*). Male hoc respectu *Horn* et alii Incitabilitatis scholae auctores monent, consilium ad Incitationis gradum esse transfe-

b

rendum, qui tanquam index considerari deberet status universi corporis, consequenter, Incitabilitate imminuta, si inflammationes adsint partiales, usum Corticis convenire, quia reticens alia argumenta graviora virium partialem accumulationem, consequenter statum hyperfihenicum partialem in corpore non solum existere posse, sed et revera existere ipsius vitae conceptus affirmat.

b. Vetat corticis usum *sensibilitas Organismi totius nimis exaltata*, quia receptivitas ad stimulos suscipiendos usu Corticis utpote remedii principiiis fixis praediti aboliretur.

c. *Summus debilitatis vitalis gradus*, ubi necessaria in hoc remedium deficit reactio vitalis.

d. Nimia organorum digerentium, et abdominalium debilitas, sensibilitas, obstructio, et in specie saburra, seu causa saburrae, quae debilitati, et fractae organorum digerentium nititur Energiae. Contradictionem quidem in hac assertionem invenisse videtur acutissimus *Horn* omnis curae evacuantis, et praeparativae inimicus, quia, inquit ille, in febre putrida Corticem utilem esse dicitis, et quare rejicitis in praesentia sordium gastricarum, si putredo majorem adhuc sordium rationem involvat. Sed illum peccasse monet differentia originis saburrae, et putredinis; saburra enim

secre  
rem  
trede  
sus v  
liqua  
usu C

status  
ter in  
lege C  
xieta  
dores  
lucub  
f  
terno

g  
minal  
ipso c  
usu a

C  
action  
mihi v  
et spe  
logia  
hanc  
forma

secretionis vitium magis ad partem singularem restrictum evacuantibus facile cedit; putredo vero incipiens momenti alterius processus vitalis expansionis praedominantis effectus liquationem partium organicarum exhibet, usu Corticis egregie restringendam.

e. Organorum respirationi inservientium status inflammatorius, et vitia organica pariter interdicut usum Corticis ex consensuali lege Consensus, quod sputorum suppressio, anxietas inde major, respiratio gravior, et sudores frigidi in superficie pectoris apparentes luculenter probant.

f. Contraria est usui Corticis saltem interno *Idiosyncrasia*.

g. In Cachexiis, quae a viscerum abdominalium vitiis natae sunt, usum Corticis eo ipso damnosum esse edocemur, quod sub illius usu augeantur.

### B. *Indicationes specialiores.*

Cum de viribus Corticis, et de modo ejus actionis sermo fuisset, rationi consentaneum mihi videbatur, haec ita exponere, ut Corticis et specifica, et simul inductione, atque analogia demonstrabilis efficacia attribui possit; hanc normam sequens illas primo morborum formas assignabo, in quibus Cortex modo agit

specifico, dein morbos enumerabo, in quibus ille rationi, qui patet, modo vires exerit salutariferas. Hoc intuitu primo Febres intermittentes objectum Dissertatiunculæ sistent.

I Febres intermittentes; usus vero Chinae his adeo congruus est, ut revera Specifici mereatur dignitatem; id enim frustra quidam ad litigandum proclives viri objiciunt, quod et aliis amaris, slipticis, roborantibus abigatur saepe Febris intermittens, aut quod eadem nec aliis remediis, nec Cortici cedat peruviano. Casus ambo tales, ubi aut ab organico vitio, quod prius amovendum esset, fovetur febris, aut injusta indicatione Cortex propinatur, hinc licet sit Specificum, experientia rationalis ejus usum dirigat, necesse est. Quamobrem duo hic momenta observanda erunt, alterum complicationes febris intermittens alterum tempus, formam, dosim, et coindicata requisita Corticis exhibendi respiciens.

a Complicationes quod attinet febris intermittens, inflammatoriam scilicet, gastricam, nervosam, et cachecticam Nosologia specialis exponit, hic igitur non nisi id monendum, quod Characteres hi, antequam Cortex in usum trahatur, apparatu therapeutico cuius Characteri respondente delendi sint, atque sic febre simplici reddita Chinae usus tuto admitti possit. Si tamen contingeret, ob Paro-

xy  
cta  
bri  
pe  
dus  
del.  
dur  
scie  
his  
esse  
resp  
quid  
inin  
con  
pon  
cach  
febr  
illae  
fant  
sequ  
stem  
mat  
  
Cort  
pat,  
dit,  
supp  
xia,  
illur

xyfmorum vehementiam vitae discrimen cunctatione accersitum iri, uti hoc in larvatis febribus, aut cum Cachexia insigni stipatis saepe accidere solet, sine mora Cortex propinandus erit; si ceram enim licet non ponat medelam, ex duobus tamen malis minus eligendum esse, medici rationalis est. Defoedare scientiam turbida propositione apparatusum his Characteribus opponi solitorum in faustum esset, sed asserere necessitatem, apparatusum respondentem praemitterdi, id vero, quidquid opponant medici curae praeparativae inimici, consonum est, quod indicationes, et contraindicationes superius allatae ob oculos ponunt. Nota igitur inflammatoria, gastrica, cachectica prius delenda sunt; in vernalibus, febribus, et aliis subcontinuis, ne porrigatur, illae enim sponte, aut sub usu amarorum cessant, praematurum quia in his usum inomisse sequerentur infarctus viscerum, tarditas systematis venae portarum, Cachexia leucophlegmatica, Icterus, Hydrops, et alia.

b. Sed et *justo tempore* propinandus est Cortex; in stadio enim frigoris alvum constipat, in stadio caloris onerat, Crises praepedit, in stadio sudoris materiem perspirabilem supprimit, proinde oportunius est, in apyrexia, cum omnis organismus quieti comittitur, illum porrigere, quae, quo brevior, eo mi-

nus de illo ingerendum. Neque *formae* indifferens est ratio, eaque optima pulveris et substantiae erit; decoctum enim minus efficax est, quidcunque sit illud principium, quod decoctione aut non extrahatur, aut deperdatur. Extractum ipsum principio stimulante resinoso caret, id tamen commodi habens, quod non constipet alvum, nec infarctum sollicitet; pulvis porro per se nonnullos purgat, et donec alvum cieat frequentem, viribus antifebrilibus destituitur; alii et a decocto purgantur. Clysmata in specie in infantibus male agunt, viscerum indurationes involvendo; qui Idiosyncrasia laborarent, iis fomenta ad abdomen, et balnea Corticis vi imbuta essent suadenda.

Coindicata diverso exhibentur respectu; sic si Cortex dejectiones causaret alvinas, ejus decocto admiscetur aqua cinamomi, menthae, melissae. Spir. nitr. dulc. liq. anod. etc. Si nec his cohiberetur alvus, opium intercalatum juvat; si usum chinae alvi obstructio sequitur, uti hoc in foeminis, haemorrhoidariis, et aliis, in quibus systema venae portarum languet, contingere solet, junguntur Corticis, quae alvum expediunt, sed non purgant, uti aloetica. Cachecticis cum solventibus simul porrigitur. In hydrope cum Squilla, Digitali etc. unitur.

tion  
inte  
ad  
sub  
de  
nos  
  
inte  
tern  
doq  
cessi  
tus  
etian  
5 + 6

ticis  
tiari  
Noss  
vern  
tunt  
nent  
sum.  
long

india

Cort

Quod dosim concernit repetitae observationes confirmarunt, doses ejus majores febrim intermittenti magis respondere; rebelles febres ad minimum unc.  $\beta$  inter duos Paroxysmos in substantia largiendam sollicitant, ubi autem de febre mactanda agitur, uncia integrā plenos exerit effectus, dosi ad scr.  $j$  omni bihorio.

Quamdiu cortex peruvianus in febribus intermittentibus adhiberi debeat, difficile determinatu est; habitum si respiciamus, quandoque et ultra mensem illum continuare necesse esset; interdum coloratus quoque habitus Diathesim febrilem habet, nonnulli hinc etiam in convalescentibus abacta febre per  $5+6$  hebdomadas illius usum protrahunt.

Melius est, febre fugata, pulveres Corticis semovere, et decoctis ratione circumstantiarum variis adstringentibus curam absolvere. Nosse Characterem febris plurimum juvat; in vernalibus citius abstinendum, quam in autumnalibus; febres anticipantes, aut postponentes nunquam adeo protractum exigunt usum, quam consistentes; epidemica constitutio longiori usu indiget.

II. *Ufus Corticis peruviani in morbis ex indicatione rationali.*

Primum autem hic occupant locum:

a. Febres continuas remittentes, in his Corticem ea cautela adhibendum esse suadet

experientia, si nota inflammatoria, seu stadium irritativum initio fere omnibus febribus proprium deletum fuerit, atque adeo et Orgasmus humorum, et pulsus paccati. Sed exemplo illustretur res, necesse est. Febres nervosae, putridae, Typhus contagiosus emetico stadio irritativo, et aliae febres, quae ex sensibilitatis inaequali per systemata quaedam corporis oriuntur distributione, hoc pacto Corticem minime respuunt, seu qua nervinum, seu qua tale remedium. quod per assimilationem materiem largitur, unde et principia inponderabilis naturae sensibilitati respondentia, et compages organica decursu morbi labefactata ad Antithesim actionum necessariam restaurantur; hac ex causa adeo prosperum ejus effectum in febribus catharrhosis, et rheumaticis acta medicorum testantur, ut dispositio simul ad hos morbos pertinaces saepe sublata fuerit. Dolendum interea est, quod in morbis febrilibus nervosis, cum affectio Encephalon obsidet, et Energia virium nimis est imminuta, Cortex raro adhiberi possit, cum simul et vires digestrices prostratae sint; sed huic damno occurrere licet, si simul stimulantia volatiliora ingerantur, quae nervos ferunt, et erigunt. In his casibus Corticis optima forma erit Decoctum mixtum aquis aromaticis cinamom. menth. crisp. piperit. aliis

aeth  
pho  
plac  
bici.  
me  
Deco  
utili  
potin  
expe  
aliis  
quo  
qual  
terea  
Orga  
levio  
grad  
que  
et in  
moli  
ri fu  
Corte  
collic  
vis d  
venie  
dicto  
rad. l  
vitell  
cerba



aethereis, aut secundum indicationes Camphora, Opio. Camphora, si decocto addere placuerit, subigatur prius mucilagine gg. arabici. Opium interpolatim in substantia optime adhibetur, Tincturam ejus licet addere Decocto. Cura praeparativa hoc respectu inutilis, quin imo damnosa esset, quia vires potius refocillandae sunt, quam dejiciendae, experientia id confirmat chinam in typho, et aliis nervosis affectionibus eo utiliorem fuisse, quo citius, et post habita methodo evacuante qualicunque propinata fuerit. Monendum interea est, majorem solummodo et virium, et Organisationis lapsum usum Corticis exigere, levior enim harum conditio, id est debilitatis gradus minor febrilibus turbis stipatus et absque Cortice aliis vernaculis minus pretiosis, et inter domestica reperiendis, quin naturae moliminibus solum, cedit.

b. *Febres hecticae*; in his vero eo meliori successu ex nunc statim dictis rationibus Cortex adhibetur, quo magis ultimo, quod colliquativum dicitur, stadio excepto vigeat vis digestrix; nihilominus interea forma conveniente exhibeatur, in connubio scilicet sic dictorum nutrientium uti sunt grana Sago, rad. salep, Theobroma Cacao, lichen. island. vitell. ovar. etc. nec indifferens est ratio exacerbationum, quae illum Corticis propinandam

modum exigunt, quam Paroxyfmi febris intermitteutis suadent.

c. *Reconvalescentia ex morbis acutis cum Energia imminuta*; quamdiu chinae usus in febribus intermittentibus continuandus fit, prius jam expositum fuit, hic igitur decidendum, an ex analogis medicaminibus amaris principio tannino resinoso donatis idem effectus in convalescentiis expectari possit, ac ex Cortice? Nequaquam, quia neutrum horum principia vitae sensiferae, et vegetativae adeo unita gerit, ac Cortex ipse; adstringentia enim habent cum nomine omen, quoniam praeterea, quod difficulter digerantur, et fibras nimio opere contrahunt, obstructionibusque habitualibus ansam praebent; Amara vernacula, et alia principio nervorum efficaciam tam se cure restaurante destituta hoc casu esse videntur, reliqua tannina, quae hic in usum trahi solent, dotes gerunt arti coriariae magis convenientes, ut adeo ex Cortice uberrima salus in convalescentiis augurari possit, blando enim modo regenerat quasi et compagem organicam, et ex hac emergentes vitae sensiferae conditiones.

d. *Morbi chronici* iique plurimi Corticem sollicitant. Nimis prolixus forem, si omnes morbos, quorum informatio sive partiali sive patiora systemata occupanti nititur debilitati,

enni  
pra  
dun  
affe  
bor  
cae  
greg  
les,  
acu  
ne  
exs  
pra  
Chi  
na,  
fort  
vof  
Ch  
Hy  
om  
mi  
me  
cifi  
pat  
du  
liq  
om  
jur  
scr

ennumerarem, in quibus China eximios jam praestitit effectus et illos continuo praestabit, dummodo rite adhibeatur. Historia descripta asserti testis est. Juvat interea, praecipuas morborum formas adduxisse. *Debilitates chronicae* omnes, et passiones ex his emergentes egregie Cortice emendantur. *Diarrhoeas rebelles*, *Dysenterias* seu ut posthuma morborum acutorum, seu ut passiones ex locali adfectione tubi intestinalis oriundas justo ejus usu, expectato citius levatas fuisse observarunt practici. Eximios utique effectus in his ex Chinae usu sperare licet si deest Ataxia magna, et motus febrilis, quae aliis remediis forte citius compesci possent. In morbis nervosis ex debilitate vitali, ut sunt Epilepsia, Chorea St. Viti, Catalepsia, Melancholia, Hypochondriasis, Hysteriasis, Vertigo etc. et omnia mala per vices redeuntia, a Sydenhami usque temporibus multum celebratum remedium, hinc et nostra aetate Electuarii specifici contra Epilepsiam efficacem constituit partem. Morbis chronicis, in quibus reproductio ex debilitate vitali languet, aut colliquatio superat, ut Tabi dorsali, Profluviis omnis generis, Haemorrhagiis, Blennorrhacis jure opponitur. — In Rachitide, et morbo scrophuloso majorem exerit virtutem, ac Ru-

bia Tinctorum, et glandes quercinae, quibus major medicorum pars subscripsit.

In his omnibus morborum formis Corticem utilem fuisse deprehenderunt medici, sedulo monentes, utilitatem illius non ex una, aut altera uncia dijudicandam esse, sed requiri, ut per hebdomadas imò menses propinetur, isque sub variis formæ, et dosis modificationibus, respectu simul habito coindicatorum ut sunt vinum, acida dulcificata Aromata, Tincturae spirituosæ, victus animalis, et cura psychica non minoris, ac illa momenti. His rite in apparatus therapeuticum concentratis, ut alios reticeam, *Horre* marcores, Phthises, et Haemorrhagias febre hectica stipatas sanasse semet asserit, quae aliis lethifera fuissent.

e. *Morbi externi topici* denique non mittendi, qui interno levantur Corticis usu. Memoratu dignum est, esse hodie eximios viros, qui in morbis externarum partium nil interne exhibendum suadent, et alios, qui externe nil applicant, ad summum munditiei studeant, et accessum aeris arcendi, efficientiae vitali virtutem ad omnes Organismi partes extendenti curam mali topici unice relinquentes. Sunt certe casus, qui utramque procedendi methodum defendunt; — longo idcirco plures sunt, qui et externam urgent curam, et

internam, vis enim vitae et in toto, et in parte diversae est efficaciae, ut adeo tam externus; quam internus Corticis, aut aliorum analogorum usus quam plurimis localibus malis sublevandis, in specie iis, quae ex energia imminuta processus vitalis sive universalis, sive partialis emergunt, conveniat. Huc prae caeteris referri possunt: gangraena, caries, et ulcera saniem fundentia, cacoëthica.

f. *Usus Chinae mere externus.* Superius jam mentionem feci de usu Chinae in febribus externo, hicque obtinet casus si vires digerentes adeo dejectae sint, ut Corticem subigere non valeant tunc in specie formenti cum vino ad abdomen applicari solet. Haec fomenta comendantur solum in febribus intermittentibus, sed quare hoc institui in febribus nervosis, et putridis non posset, non satis concipio; caeterum in tam gravi casu decident Practici cognitionis verae Antistite. In clysmatibus porrigitur saepe decoctum, si id quacunque ex causa ore sumi non possit. Quod ad balnea, gargarismata, injectiones, et pulveres dentifricos medici chyrurgi eo utantur, perquam notum est.

Restat adhuc ut de Dosi, forma, et Coindicatis Corticis peruviani pauca adducam.

Dosis chinae generalis determinari nequit; pulvis ejus infra scrupulum unum, et ultra

quatuor pro dosi speciali non porrigitur, certum est interea, dosim generosorem majores edere effectus, quam si eadem quantitas iteratis vicibus ingeratur. Quinam sit modus optimus chinam in febribus et aliis morbis, exhibendi superius attigi, cum ejus indicationes enumerassem. Decocti ex una aut altera uncia pro  $\frac{1}{2}$  una parati vasculum dimidium quovis bihorio porrigi solet, sive infuso ejus eadem quantitas. Modus procedendi, quo unciam unam cum dimidia in pulvere, aut eandem quantitatem sub decocti, vel infusi forma aeger apyrexiae tempore ingerere debet, non est generalis valoris, quia apyrexiae mora longior, aut brevior hoc respectu decidit.

Efficaciam corticis peruviani forma quoque, sub qua exhibetur, variabilem reddit. Levissimum remedium ejus infusum est, quo partis illius amarae aromaticae, et paucae adstringentes extrahuntur, quod vero illis solum convenit, ut jam dictum est, qui pulveres non ferunt certe efficacissimos. Infusum plerumque frigidum praescribitur, cum cort. peruv. ruditer tuss. duae cum libra una aquae frigidae per 24 horas infunduntur saepius agitatae. Hoc efficacius est infusum vinosum quod jam majori copia partes amaras adstringentes resinosas et aromaticas in se suscipit. Insigniorem adhuc effectum exerit decoctum, cum

scilicet Cort. peruv. rud. tuli unc. una in aquae fontis libra una coquitur ad remanentiam unciarum octo, vel sex. decoctione enim omnes efficaces Chinae partes extrahuntur.

Connubium Corticis peruviani secundum circumstantias varias varium est. Hoc intuitu adduntur illi sub diversa forma propinando:

a. remedia principio stimulante volatili imbuta, eo scopo, ut facilius subigi possit, uti sunt: cinamomum nux moschata, piper, vinum, Spirit. vini, aqua menth. piperit. infusa Valer. Arnic. calam. aromatici, et alia.

b. Cortices vernaculi in praxi pauperum, quorum praecipui sunt: cortex Hypocastani, salicis, quercus, rhus cotini etc. dain infusa flor. chamomill. hb. ruthae pro fomentationibus. c. Remedia odore, et sapore suavia in praxi divitum delicatolorum. Compositiones ejus cum solventibus, ut cum sale amoniaco, nitro et aliis alii vituperant, alii laudant, horum valor sub usu Corticis in febris intermittentibus expositus est.

Quod praeparata Corticis peruviani attinget, plura quondam in usu fuere, uti Tinctura, Syrupus, ex quibus autem hodiernis temporibus in nostro Dispensatorio unicum solummodo exstat, nempe Extractum, in mixturis, pillulis, aut Electuariis ad unam alteramve drachmam exhibendum.

Haec sunt, quae pro mea inaugurali Dissertatione in compendio adducere concluderam; si quidjam inde in Medicinae Tyrones redundaverit emolumenti, laetabor valdopere: quodsi vero minus huic scopo satisfecero, persuasum mihi saltem habebō, me legibus academicis satisfecisse.

## T H E S E S.

1. Vita absque corde, et systemate nervoso possibilis.
2. Morborum divisio in dynamicos, et organicos optima.
3. Non datur secretio vicaria cum materia quae talis.
4. Hepar non unice bilis secretioni inservit.
5. Febris superveniens saepius morbos tollit pertinaces.
6. Dies critica negari absolute non possunt.
7. Extractio characterae reliquis operandi methodis longe praevalet.
8. Cranioscopia *Gallii* cum dignitate cerebri conaliari nequit.
9. Pulsuum frequentia notionem febris non absolvit.
10. Cura symptomata magna est in praxi momenti.
11. Cortex peruvianus specificum sistit remedium in febre intermittente.
12. Non omnis tamen febris intermittens illico Cortice suffocanda.
13. Corticis peruviani usum inflammatio, et saburra vetat.
14. Febres larvatae gravioribus symptomatibus stipatae sine mora Cortice aggredi debent.
15. Verum Corticis peruviani surrogatum hucusque nondum innotuit.
16. Egestas, luxus, et air uberrimum sistunt morborum fontem.

